



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 8. Quidam Fœderati Bruxellis extremo supplicio sublati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI
A. C. 1568.

bantur, alias, ni parerent, bonorum publicatione, & perpetuo exilio multandi. Verum hoc edicto tumultus nonnisi augebantur, quippe contra Gubernatricem passim libelli famosi spargebantur, imo etiam pecuniaplerisque in locis ad popularium animos in seditionem concitandos, sollicitandosque ab hæreticis distribuebatur.

§. VIII.

Quidam Fœderati Bruxellis extremo supplicio sublati.

Strada de Bello Belgico l. 7. Thu. l. 44.

Albæ Dux hac hæreticorum petulantia exacerbatus suæ iracundiæ haud amplius temperare poterat, quapropter undeviginti ex Nobilibus conjuratis, duodecim-virili judicio perduellionis damnatos, Bruxellis in foro Arenario, capite plecti jubet: porro octo ex his Catholice, religioseque, reliqui autem undecim, ut erant hæresim complexi eidem pertinaciter immortui perierunt, ubi illorum cadavera humo contegebantur, horum vero corpora præter quatuor primariæ Nobilitatis viros stipitibus alligabantur superaffixis capitibus, ac sic per agros relinquebantur, idque sequentibus quoque diebus servatum est, nam postridie eodem in loco, eodemque supplicio Nobiles quatuor damnati, ex quibus Vilersius, ac Durius, qui nuper in

in Juliacensi prælio Duces capti fuerant, et si pari uterque, seu integra Religione, non pari tamen circa mortis suæ rationem sensu decessere: Vilersius enim palam testatus est, se quidem ob benefacta ab Albano Duce damnatum, sed illum non diu vindicta cariturum: contra vero Dujus, actis Regi, Albanoque pro eo sine gratiis, populum orabat, sibi ut ignoscerent, ac divinam tunc maxime clementiam precibus conciliarent. Ad hæc Villuordiæ, ubi Antonius Stralius Antverpiæ nuper Consul, & Casembrolus Egmontio quondam a Secretis, aliique eandem ob causam detinebantur, vitam consimili per eos dies pœna finire, præfuitque horum suppliciis pro Albano Duce Joannes Spellius celebris ea tempestate per Belgium capitalium causarum Judex, quem paulopost multorum criminum reum, Albani jussu in furcas actum, magna Belgium gratulatione spectabat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1568.

§. IX,

Judicii acta in Egmontium, & Hornium Comites instructa

Hiscæ suppliciis ita peractis Albæ Dux *Strada & Thuan. l. c.* fundendi cruoris avidus, nondum immoderata ultione satiatus fuit, sed in Egmontium, & Hornium, qui *Hist. Eccles. Tom. XLVIII.* R novem